



---

## Yale University Library Digital Collections

<b>Title</b>	De pedibus harmonicis trisyllabis ... [Page 33 of Lib. VIII Musurgia Mirisica.]
<b>Date</b>	1650
<b>Rights</b>	The use of this image may be subject to the copyright law of the United States (Title 17, United States Code) or to site license or other rights management terms and conditions. The person using the image is liable for any infringement.
<b>Container information</b>	v. 2
<b>Generated</b>	2021-02-18 18:07:45 UTC
<b>Terms of Use</b>	<a href="https://guides.library.yale.edu/about/policies/access">https://guides.library.yale.edu/about/policies/access</a>
<b>View in DL</b>	<a href="https://collections.library.yale.edu/catalog/2003793">https://collections.library.yale.edu/catalog/2003793</a>

---

§. I.

De pedibus harmonicis trisyllabis.

Primò, Triplex in trisyllabis pedibus harmonicis progressus considerari potest *ἀνοβάτος*, *ἰσοβάτος* & *κατοβάτος*. Progressus anobatus est, quando pes mouetur sursum siue id fiat per gradus, siue per saltus. Isobatos progressus est quando pes æquo supra eundem gradum passu incedit. Katophatos est, quando pes deorsum vel per gradus vel saltus mouetur, quæ triplex progressuum ratio tanti in metrica musica momenti est, vt sine ijs nihil rectè in Musurgia constituatur. vt in sequentibus videbitur.

Secundò, Arseos & theseos maxima in trisyllabis habenda ratio est, qui enim Molossus *κατάμιν θῆσι* inciperet, ridiculam prolationē faceret; secus fieret si *κατάμιν ἀρσει* eum proferret.

Tertiò, Quosdam trisyllabos pedes aptiores esse temporì perfectò, alij temporì imperfectò; quales verò hi sint paulò post videbitur.

Quartò, Notas puncto elisas multum facere in correptione vocum; Verùm rem proprius inspiciamus. Vt igitur solidius in nostra Musurgia progrediamur; pedes metricos pedibus harmonicis varijs modis accommodabimus, quibus visis examinatisque, deinde quis melior musicisque modulis aptior sit decernemus.

Primò itaque consideranda est in trisyllabis cum primis media syllaba; quæ vel breuis est vellonga, inter eos verò pedes, quæ mediã breuem habent est *Dactylus*, *Tribrachys*, *Anapæstus*, *Creticus* quos & ideò mesobrachos vocat. Quæ verò mediã longã habet, hi sunt; *Molossus*, *Bachus*, *Antibachus*, *Amphibrachys*; quos mesomacros ideò vocamus; hos primo modo quidam ita pedibus harmonicis accommodant, vt hæc signis quantitatis — u notæ perfectè respondeant; vt sequitur.

Trisyllabi pedes qui secundam corripunt siue Mesobrachyes.

Tribrachis	Dactylus	Anapæstus	Creticus
------------	----------	-----------	----------

1      2      3      4      5      6      7      8

Trisyllabi pedes qui secundam producunt siue Mesomacri.

Molossus	Bachus	Antibachus	Amphibrachys
----------	--------	------------	--------------

1      2      3      4      5      6      7      8

Ecce hic est modus quorundam, qui putant pedes metricos, ita modulis harmonicis adaptandos esse, vt syllabæ breues respondeant notis minoris temporis, longæ, maioris. Quod ego nulla ratione probo; ingentesque in syllabica harmonia errores & ridiculas omninò pronunciations caufare potest; præsertim si ascensus descensusque notarum

E                  nulla